



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

Punct. X. De confessione dotis receptae quae tamen recepta non est.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

nerum, cuiusque successorem, cum ei dissoluto matrimonio dotem reddere teneantur. Sicuti decidit leg. vna. §. videamus. Cod. de rei uxoria ad. lib. Equissimum nobis visum est & in ex stipulatis actione mulierem dotem suam precipuam accipere. Quod intelligendum est, cum filia emancipata est, nam si sub patris sit potestate, ipsi & patri simul actio competet. Vt late probat Anton. Gomez, lege 50. Tauri, numero 28.

2 Si vero gener dotem promissam non recepit nequit filia aduersus patrem eiusque successores pro soluenda dote actionem intentare, nisi prius generi haeredes ei actionem cesserint. Priorem partem probauit Diocletian. leg. 5. C. de dote promiss. ubi si pro te pater marito tuo stipulanti promiserit dotem, non tibi, sed marito contra successores socii competit actio. Secundam statuit Paul. leg. si socii. 2. §. Luctus. ff. soluto matrimonio. Necessario habebit maritus aut exactam dotem, aut actiones ei praestare. Sic hanc questionem explicat alius relatus Fachineus lib. 8. controuer. c. 73.

§. III.

An viro debeantur redditus, & vsurae ob promissionem dotis non soluta?

- 1 Promissio causa dotis facta regulariter conditionalis est, hoc est a matrimonio contracto pendens.
- 2 A puncto matrimonij per verba de praesenti contracti dos debetur.
- 3 Obligatus est dotem promittens compensare marito quantum in sustentanda familia insumit interim dum non soluit.
- 4 Non solum ob sustentationis munus, sed etiam in penam culpa dotis suo tempore non soluta poterit maritus interesse aliquid exigere.

1 Praemittit promissionem causa dotis factam regulariter conditionalem esse, hoc est a matrimonio contracto pendente, cum dos absque matrimonio esse non possit lege 3. Digestis de iure dotium. Vnde quousque matrimonium contractum sit per verba de praesenti dos non debetur.

Dixi regulariter, vt excluderem casum in quo pater dotat filiam in legitima. Nam esto matrimonium non sequatur legitima debita est. Non enim legitime imponi grauamen potest matrimonij contrahendi. Vt pluribus comprobat Anton. Gom. l. 50. Tauri, n. 29.

2 At a puncto matrimonij per verba de praesenti contracti dos debetur, si a principio conuentum non fuit post aliquod tempus esse soluendam, quia tunc pactio standum est. Quod si eo tempore dos non soluat, & maritus onera matrimonij sustinet, agere ad interesse poterit dotis non soluta. Vt constat ex leg. in solam. §. vsuras. ff. soluto matrim. leg. cum post §. in domum. ff. de iure dotium. cap. salubriter. cap. conquisitus de vsuris. & aliis pluribus comprobat Gomez dicta leg. 50. num. 30. Mol. disp. 42. §. post princ. Rebell. lib. 5. quest. 10. num. 7. Etenim maritus se obligauit onera matrimonij sustinere pro dote tali tempore soluenda. Ergo quantum interest marito tali tempore dotem solutam non esse compensari debet. argum. licentibus. Cod. de actionib. empti.

3 Solum est difficultas, si dos promissa esset in pecunia, & maritus non esset illam negotiationi expositurus, neque ex illa aliquam rem fructiferam empturus, an eo casu promittens dotem compensationem aliquam praestare debeat? Ratio difficultatis est, quia nullum cessat interesse, ac proinde nullum ob non solutam pecuniam interesse percipi poterit, esset enim lucrum ob virtuale mutuum.

Ceterum dicendum est obligatum esse dotem promittentem compensare marito quantum in sustentanda familia insumit. Nam vt late probauimus tract. de matrim. disputat. 3. punctum... maritus cui est dos promissa, & non soluta ab alenda vxore deobligatur. Ergo si de facto familiam sustentat, compensationem illius petere poterit. Quapropter etiam non possit interesse recipere ob solutionem dotis dilata, recipit tamen illud ob munus sustentationis, quod absque obligatione praestatur. Sic tradit Molina disputatio 42. §. 5. quando dos. Rebell. 2. parte libro 5. questio 10. numero 14.

4 Quinto non solum ob hanc causam poterit maritus interesse aliquid exigere, sed etiam in penam dotis sibi suo tempore non soluta, dummodo a principio de ea fuerit conuentum. Neque enim vlla intercedit iniustitia ex eo quod maritus cum vxore, vel illius patre dotem promittente conueniat, vt si termino praefixo non soluerit solucere teneatur moderatum aliquid lucrum. Licet namque est euiuslibet se ab iniuriis defendere, & pena apposta virgine debitorem, vt pactio nem exequatur. Quod a for-

iori licitum erit, si lege aut consuetudine aliqua id fuerit statutum. Sicuti late comprobat Rebell. d. quest. 10. num. 163 & seqq.

§. IV.

De dote tradita ante nuptias cui competant illius fructus?

- 1 Alij affirmant fructus marito competere. Alij sponso.
- 2 Conciliantur sententiae.
- 3 Sententia negans sponso ante nuptias fructus traditae dotis regulariter sustineri debet.

1 Quaestio procedit, cum dotem tradens non satis suam exprimit voluntatem. Nam illa expresse cessat quaestio, cum ipsi standum sit.

Doctores diuisi sunt, vt constat ex his quae tradit Tiraquel. libro 2. retractu ad finem, numero 63. Petrus Barboia ad legem si ante Dig. soluto matrim. Alij namque affirmant marito competere, eo quod res suo domino fructificat lege qui scit. 2. §. ad initium. ff. de vsura. At res dotales sunt mariti, cum ipsi tradunt, illamque dominum civile comparat. lege nisi 9. ff. de iure dot. Alij sponso praedictos fructus concedunt in dotis augmentum. Vt indicat dict. lex si ante. ff. soluto matrim. & leg. dotis fructus. §. 1. ff. de iure dot. Non enim praesumendum est velle sponso dotis traditae fructus sponso absolute concedere cuius nuptiae forte non sequantur.

Haec tamen sententiae facile conciliari possunt. Vt prima sententia procedat cum sponso aliqua onera matrimonij contrahendi sustinet, in fauoremque sponsoe negotia disponit. Nam ob hanc causam merito praesumi potest dotem sibi esse traditam, vt illius fructibus similia onera compensaret. Secunda vero sententia procedit, cum nulla sustinet matrimonij onera, quia tunc nulla est causa ex qua praesumptio sua i possit fructus marito applicari, sed potius credendum est sponso cedere in dotis augmentum. Vt bene tradit Rebell. d. 9. 10. n. 34. & seq.

Regulariter autem secunda sententia negans sponso ante nuptias fructus traditae dotis sustineri debet. Tum quia raro sponso onera sustinet illa compensatione dicta. Tum quia communis est sententia quam refert, & sequitur Anton. Gomez. lege 50. Tauri, num. 37. Rebell. 9. 10. num. 2. & habetur leg. regia 26. tit. 11. par. 4. tria pro lucranda fructibus rei dotalis requisita esse. Primum rem dotalem esse traditam. lege de diuisione. ff. soluto matrimonio. Secundum matrimonium per verba de praesenti esse contractum, quia ante illud non est dos. Tertio onera matrimonij sustinere. l. pro oneribus. Cod. de iure dot.

PUNCTVM X.

De confessione dotis receptae, quae tamen recepta non est.

§. I.

Confessio dotis praesumitur fieri spe futurae numerationis.

- 1 Confessio dotis recepta ante matrimonium contractum censenda est fieri spe futurae numerationis, ac proinde nullam inducit obligationem.
- 2 Praeponeitur obiecto, & soluitur.

1 Diximus disp. 2. p. 2. §. 8. huius tractatus, confessionem dotis receptae praestitae a marito ante matrimonium contractum censendam esse factam spe futurae numerationis, ac proinde nullam obligationem inducere. Id ipsum docuimus de confessione facta post matrimonium contractum. Vt late, & optime confirmat Andreas Facllin. lib. 8. controuer. cap. 80. Cuius fundamentum praecipuum sumitur ex leg. 3. Cod. de dote causa non numerata. vbi non solum marito, sed etiam haeredibus competit exceptionem opponere dotis non numeratae, quam ipse maritus confessus est accepisse. Si autem praesumeretur eam confessionem fieri animo donandi, & non spe futurae numerationis, neque marito concederetur oppositio dotis non numeratae, neque eius haeredibus. Quandoquidem donanti non permittitur oppositio rei donatae non numeratae, sed solum permittitur, vt durante matrimonio donatum reuocet, neque haeredibus ea oppositio concessa est cum donantis morte donatio finiat. iuxta leg. cum hic status. ff. de donat. inter. vir. & vxor.

2 Quod si dicas presumptionem fumendam esse ex frequenter contingebus, frequentiusque contingere hanc confessionem dotis recepta praestari a marito animo donandi potiusquam spe future numerationis; negandum est cum semper quicumque intelligi debet operari secundam iuris regulas. At ex iuris regulis constat fatenti dotem recepisse decennium post factam confessionem concedi, vt exceptionem dotis non recepta obiciat *Novella 100. seu Authent. de tempore non soluta pecunia super dote. ibi Si autem tempus intra decennium. Et infra tempore decennij diximus proponere querelam. Et c.* Ergo dum contrarium manifeste non constat praesumendum est non animo donandi, sed spe futurae numerationis factam confessionem esse. Maxime cum facili negotio possit exprimi animo donandi confessionem fieri. iuxta *leg. 1. Cod. de dote causa non numerata.* Quocirca facta dotis confessione per maritum potest maritus per decennium constante matrimonio exceptionem opponere, seu querelam intentare dotem traditam non esse; eo vero decennio transacto siue matrimonium constet, siue dissolutum sit, nequit exceptio, seu querela proponi. Quod si intra biennium a confessione dotis matrimonium dissolutum conceditur annus huius exceptionis, vel querelae proponendae. At si ultra biennium, sed intra decennium dissolutio matrimonij contingat, res mensis tantum exceptioni proponendae conceduntur. Excipit nisi minores 25. annis sint quibus restituitio in integrum conceditur. Haec traduntur. *Authent. quod locum. Cod. de dote causa non numerata. & Authent. de tempore non soluta pecunia super dote.*

Posita vero ea exceptione, seu querela intra tempus a lege permissum vxor, eiusque haeredes probare debent dotem numeratam esse, alioquin maritus ab obligatione absoluitur. Sicuti ex communi tradunt Anton. Gomez *leg. 50. Tauri. num. 52.* Aluar. Valasc. *consultat. 5. num. 7.* Mol. *tract. 2. disputat. 439.*

§. II.

Referuntur casus, in quibus cessat praedictum privilegium excipiendi dotem numeratam non esse.

- 1 Quoties ultra confessionem dotis recepta adsunt aliqua alia adminicula, praesumptio sumitur dotem receptam esse, excluditurque privilegium opponendi dotem non esse receptam.
- 2 Si fundum maritus amat affirmans emere ex pecunia dotali recepta vxoris, credendum est verum fatenti.
- 3 Si comprobetur partem dotis quam maritus testatur recepisse vere numeratam esse eo ipso praesumitur totam fuisse acceptam.
- 4 Si ultra mariti confessionem adsit vnicus testis asserens dotem numeratam esse praesumptio inducitur integram dotem esse numeratam.
- 5 Si post factam confessionem diu alimenta a vxori maritus ministrat, praesumptio inducitur dotis numerata.
- 6 Item si confessio dotis recepta subsequatur ex intervallo post dotalis instrumentum, & promissionem dotis solvenda.
- 7 Item si vir ignobilis, vel senex confessionem dotis recepta praestiterit comparatione vxoris nobilis, & iuuenicula. Sed hac restrictio reprobat.
- 8 Item si huic confessioni dotis recepta adicias renuntiationem exceptionis non numerata.
- 9 Item cum ab alio quam ab vxore, eiusque patre dotem maritus accepisse fateatur.
- 10 Item si confessioni dotis ab vxore, eiusve patre recepta supermat alterius promissio de dote solvenda, quam maritus accepit.
- 11 Item si confessioni adicias iuramentum. Et de quo iuramento intelligatur, an assertorio, an promissorio.
- 12 Item si post factam confessionem decennium ad proponendam querelam dotis non numerata elapsus sit.

1 Privilegium, quo maritus, eiusque haeredes, & alij gaudent excipiendi repetenti dotem numeratam non esse, vel id ipsum protestanti plures restrictiones admittit, quas in sequentibus percurramus. Si enim ultra confessionem dotis recepta adiunt aliqua alia adminicula praesumptio sumitur dotem receptam esse, excluditurque privilegium opponendi dotem non esse receptam argum. Textus in *leg. cum si dem. Cod. de non numerata pecunia.*

2 Et in primis si fundum maritus amat affirmans emere ex pecunia dotali recepta vxoris credendum est verum fatenti. Sic salicet. *in leg. si mater. Cod. de contrahenda. empt. Decius, cons. 96.* Couarruias 1. *variar. capite 7. numero 6.*

3 Secundo si comprobetur partem illius dotis qua amari-

tas testatur recepisse vere numeratam esse, eo ipso praesumitur totam fuisse acceptam. Sic Couarruias *loc. cit.*

Tertio si ultra mariti confessionem adsit vnicus testis asserens dotem numeratam esse, praesumptio inducitur integram dotem esse numeratam. Sicuti resoluti Couarruias *disputat. 7. numero 6.*

Quarto si post confessionem factam diu alimenta vxori maritus ministrat, praesumptio inducitur dotis numerata. Vt tradit Bald. *in Rub. Cod. de privileg. dot. num. 6.* Sed hoc exemplum Couarruias alios referens non admittit, eo quod alimenta potius timore coniugali quam ratione receptae dotis praestari soleant.

Quinto si confessio dotis recepta subsequatur ex intervallo post dotalis instrumentum, & promissionem dotis solvenda, praesumptioem inducit dotem numeratam esse, excluditurque exceptionem: habetur expressae *leg. in contractibus 14. §. 1. Cod. de non numer. pecunia. ibi Illis etiam contractibus, qui post confessionem dotalium instrumentorum de soluta dote ex parte vel in solidum exponunt nullam exceptionem non numerata pecunia penitus opponi.* Atque ita ex communi sententia plures referens tradunt Couarruias 1. *var. capite 7. numero 6.* Anton. Gabr. *lib. 3. common. iud. de iure dot. conclus. 4.* Menoch. *de praesumpt. lib. 3. praesumpt. 12. numero 53.* Fachin. *lib. 8. caput. 81.* Anton. Gomez Aluar. Valasc. & Molina *loc. cit.* tameti contrarium sentiat Socin. Senior. *in leg. 1. numero 101. ff. soluto matrim. Francisc. Aretin. leg. 2. §. creditum. numero 27. ff. de centum. rebus.* Quorum fundamentum est simulatio, quae non videtur excludi ex eo quod confessio subsequuta fuerit ex intervallo dotalis instrumentum. Sed dicendum est iure sic disponente hanc simulationem excludi, & veritatis praesumptionem induci. Neque hodie decisioni repugnat *lex vltim. Cod. de dote causa non numerata*, dicens, *In dotibus quas datus esse dotalibus instrumentis conscribitur, cum ad eas nulla datus, sed pollicitatio tantum iussurata sit, licet non numerata pecunia exceptionem opponere.* Nam hic Textus non loquitur de confessione facta ex intervallo post dotalis instrumentum, sed de confessione in ipso instrumento, vel incontinenti facta, quae tamen non excludit exceptionem.

Sexto si vir ignobilis, vel senex hanc confessionem dotis recepta praestiterit comparatione vxoris nobilis, & iuueniculae. Plures Doctores, quos refert Menoch. *lib. 3. praesumpt. 12. numero 4.* censent factam animo contumeliam dandi, & faciendi donationem, siquidem est sufficiens causa donationem praesumendi; maxime cum donatio ob hanc causam quae remuneratoria est, & compenlatoria summa sit. Vt probauimus *disputat. 2. huius tract. num. 2. §. 8.* Sed rectius hac restrictionem refellit Fachin. *lib. 8. controuers. cap. 8.* Ductus ex *leg. vlt. Cod. de dote causa non numer. & ex Nouella. 100.* quibus generaliter absque vlla distinctione cauetur opposi a marito, et quae haereditibus posse intra decennium exceptionem dotis non numeratae. Neque obest esse sufficientem causam dotis constituendae, & donationis praestandae vxorem esse iuueniculam, & nobiliorem, quia haec donatio non letis exprimitur, sed sola dotis receptae confessione. Vt manifeste colligitur ex *leg. 3. si de amato. & leg. §. dea. §. de m. ff. de donat. inter vir. & vxor.* vbi donatio facta a libertino filiae senioris cum validum est matrimonium non tenet. Praeterea quod *leg. 1. Cod. de donat. im. ante nuptias.* praescribitur modus firmandi donationem, & dotem continendi, nempe miram debere prius a marito futuro tradi vxori, & ab ipsa tradita in dotem accipere.

Septimo si huic confessioni dotis recepta adicias renuntiationem exceptionis dotis non numeratae, praesumptioem induces vere sibi numeratam esse, nullatenus que potest praedictam exceptionem opponere. Tum quia cui libet datum est iure pro se introducto renuntiare. *leg. penult. Cod. de pactis.* Tum quia renuntiationem exceptioni sibi concessa vi ea non intendit Ergo non praestat confessionem spe futurae numerationis. Atque ita tradit Fachin. *lib. 8. controuers. §. 84.* Mol. *disputat. 439.* cum Ant. Gomez. Aluar. Valasc. & alij.

Octauo cum ab alio quam ab vxore, illiusve patre dotem accepisse maritus fateatur, praesumitur vere dotem receptam esse, cum nullum sit fundamentum praesumendi animo donandi confessionem praestitisse, ac proinde locus non erit exceptioni. Sicuti tradit Bald. *in Rub. n. 4. Cod. de privileg. dotis. lalon. in §. fuerat. num. 89. in str. de actionib. Ioann. Lupus ad Rub. de donat. inter vir. & vxor. §. 30. n. 12.* Marfil. *in §. 41. & alij.* Sed merito hanc limitationem reprobat. Couarruias 1. *var. c. 7. n. 6. vers. Et alia.* Anton. Gomez *leg. 50. Tauri. num. 52.* Menoch. *de praesumpt. lib. 13. praesumpt. 12. numero 79.* Fachin. *lib. 8. controuers. c. 85.* Aluar. Valasc. *consultat. 5. n. 14.* Mol. *disputat. 439.* ducti ex *Novella 100. seu Authent. de tempore non soluta pecunia super dote:* vbi aequè in confessione recepta dotis ab vxore, eiusque patre vel ab extraneo permittit marito exceptionem intra decennium opponere. Inquit enim Textus *In nullo discernentibus nobis siue mulier tamquam affertus dotem.*

§. III.

An iis in euentibus, in quibus negatur marito, eiusque hæredibus exceptio dotis non numeratæ negetur etiam creditoribus?

- 1. *Varia sunt doctorum placita.*
- 2. *Verus est illis in casibus, in quibus marito eiusque hæredibus non competit exceptio dotis non numeratæ, neque etiam creditoribus competere.*

**V**aria sunt Doctorum placita. Nam alij quorum meminit Couarruu. Menoch. & Fachin. statim referendi negata marito, eiusque hæredibus hac exceptione eam concedunt creditoribus, quia rationi consonum videtur, ut maritus sibi liceat, non aliis. Alij è quorum numero est Couarruu. i. var. c. 7. n. 6. vers. quamobrem. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 1. §. 1. n. 54. hac distinctione videntur. Si confessio dotis receptæ facta est ante matrimonium contractum, creditoribus præiudicat vtpote quæ dotis rationem constituit. At contracto matrimonio nullus est præiudicij, quia præiudicium simulata donatio, & in fraudem legis donationem inter coniuges prohibens facta. Alij hac procedunt distinctione. Si confessio facta est à marito ære alieno grauato præsumitur dolo, & in fraudem creditorum, ac proinde nullus momenti. *Authent. sed iam necesse. Cod. de donationib. ante nuptias.* Secus verò si nullis debitis obstrictus sit.

His tamen placitis omnibus verius existimo illis in casibus, in quibus marito eiusque hæredibus non competit exceptio dotis non numeratæ, neque etiam creditoribus competere. Quod docuit Bart. in leg. assiduis numero 11. Cod. qui potior. in pignor. habeant. Roland. à Valle conf. 20. numero 4. & conf. 74. numero 10. lib. 4. Andreas Gaill. lib. 2. o. obseruat. 81. numero 10. Fachin. lib. 8. controuers. capit. 88. §. 87. & alij apud ipsos. Fundamentum est quia in leg. vltim. Cod. de dote cant. non numeratæ. & in Nouella 100. seu *Authent. de tempore non soluta pecunia super dote.* decennium conceditur ad querelam dotis non solutæ opponendam, quo elapso ea oppositio nemini permittitur, siue marito, siue eius hæredibus, siue creditoribus; lex enim non distinguit, sed absolute, & abique vlla limitatione loquitur: & merito, quia si marito, eiusque hæredibus qui principalis ius in neganda dote sibi non soluta habere debebant non conceditur oppositio dotis non numeratæ, minus concedi debet creditoribus extraneis maritum præiudicare sua confessione per decennium non reuocata. Nam hoc præiudicium non ab ipso dicitur, sed à dispositione iuris statuentis dotem per decennium confessatam habendam esse, ac si actualiter soluta esset, ac proinde cum omnibus suis priuilegiis. Neque huic doctrinæ restringatur *Authent. sed iam necesse. Cod. de donationib. ante nupt.* vbi confessio augmenti dotis in rebus mobilibus non præiudicat creditoribus, quia hæc præsumitur in fraudem creditorum facta, cum frequentius hæc confessio fiat non ex vera enumeratione, sed simulatione. Secus verò de confessione integre dotis, cum abique dote raro matrimonia celebrentur bene tamen abque augmento, ideoque facilius fraus in confessione augmenti dotis præsumitur, quam in confessione dotis. Vt latius prosequitur Couarr. d. c. 7. num. 7.

PUNCTVM XI.

Quousque maritus promissam sibi dotem exigere teneatur?

- 1. *Alicui videbitur nulla obligatione teneri.*
- 2. *Si dos titulo lucratiuo promissa esset, abstinere poterit maritus ab exactione illius.*
- 3. *Si dos ab extraneo promissa titulo oneroso fuerit, obligatus est maritus dotem repetere.*

**A**licui videbitur nulla obligatione teneri maritum exigendi dotem. Non enim creditor alstringitur sibi debitum exigere. Quod in præsentia efficacius viget, cum maritus possit à sustentanda vxore abstinere dote sibi non soluta, vel petere compensationem sustentationis, & interesse non solutæ dotis.

Et quidem si dos ab vxore, eiusque patre, aut ab alio extraneo, titulo lucratiuo promissa esset, abstinere poterit maritus ab exactione illius, quin obligetur aliquam vxori restitutionem præstare, si forte interim pereat, vel promissor soluendo impotens sit, quia nullus culpæ reus est eam exactionem omittens. Quippè vxori, eiusque parenti debitor esse non potest, cum ipsi dotis debitores sunt, & per ipsos fiat quo minus marito non solvatur. Neque etiam teneri debet

dotem conferat, siue pater siue alij quisquam. Non obest ratio in contrarium adducta. Nam licet nullum sit fundamentum præsumendi donationem, non obinde inferitur præsumendam dotis receptionem; cum fieri possit confessio spe future numerationis, & sic facta præsumenda est.

10. Nonò si confessioni dotis ab vxore eiusque patre receptæ superueniat alterius promissio de dote solvenda, quam promissionem maritus acceptauit, eo ipso excluditur ab exceptione numeratæ dotis opponenda, cum ea promissio loco solutionis lubrogetur, leg. vir. ab eo ff. de iure dotum. & plures exornat. Couarruu. i. var. c. 7. n. 6. vers. est & alia.

Ex qua doctrina inferitur marito decedente vxori ex hac confessione competere actionem aduersus hæredes mariti, ut dotem illi soluant, neque ipsi satisfaciant cedendo: actionem autem aduersus extraneum promittentem dotis solutionem habent. Vt late probat, & respondet contrariis Fachineus lib. 8. cap. 74.

11. Decimò, si confessioni adicias iuramentum, censuris animam habere dotem donandi, ac proinde sicut donatio expressa inter coniuges iuramento adiecto confirmatur secundum communem sententiam: sic dicendum est confirmari hæc tacitam donationem quæ ex confessione resultat. Vt dixi dist. 2. huius tract. pun. 2. §. 8. in fine.

Ceterum hoc iuramentum esse potest asseritorium, vel promissorium: iuramentum asseritorium, quo iurares dotem recepisse cum non receperis nequam te obligare potest, neque ad eam confirmare, quia illud non est iuramentum, sed peritium; ex peritio autem nulla confirmatio, aut obligatio nasci potest. Sicuti ex communi sententia tradit Couarruu. i. var. c. 7. num. 4. vers. quinto. Iulio Claro, §. donatio. q. 9. vers. hæc tamen conclusio. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 12. num. 48. Fachin. lib. 8. controuers. cap. 78. tamen contra sententiam Paul. Castrensi. Socini. Senior. Alciati. & alij relati à Fachin. sibi, & à Seraphino Senensi, de iur. iuram. prinil. 59. n. 1. Quorum doctrina procedere potest, vt vxori, eiusque hæredibus non competat onus probandi dotem esse receptam, quia non est præsumendum maritum peritium commisisse: bene tamen poterit ipse, eiusque hæredes probare dotem non numeratam esse, et si suam turpitudinem alleget. Vt à talis relatis tradit Man. Acosta, leg. §. cautione, folien. 9. Mol. disp. 439. ante med.

Si autem iuramentum promissorium confessioni adiciere, quo inquam promittetes, & iurares dotem solutum: communis sententia telatur te obligatum esse soluere, quin possis opponere exceptionem non numeratæ dotis, quia illud iuramentum non solum vitium promissionis purgat, sed illam omnino firmam reddit, vt pluribus d. pun. 2. §. 8. confirmat. Attamen prædicta sententia difficultate non caret, quia iuramentum imbitur conditiones actus cui adiungitur, sed confessio dotis receptæ, & promissio illius solvenda, & restituentæ imbitur conditionem si dos numerata, solutaque fuerit. Ergo iuramentum eandem conditionem continet. Non igitur ex hoc iuramento excludi debet exceptio dotis non numeratæ, maxime cum nullibi cautum sit, quin potius contrarium non leuiter indicatur. leg. vlt. Cod. de non numerata pecunia. ibi. *Quæ enim differentia est in huiusmodi exceptione siue iuramentum positum est siue non.* Atque ita tradunt Ruinus consil. 137. lib. 4. Couarruu. i. var. c. 7. numero 5. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 12. n. 43. Mol. d. disp. 439. ante med. & alij.

11. Vndecimò si post factam confessionem decennium ad proponendam querelam dotis non numeratæ elapsum sit obligatur maritus, eiusque hæredes dotem vxori, eiusque hæredibus soluere, ac si verè recepisset, quia iure sic disponente præsumitur recepisse, vel saltem voluisse suos facere hæredes. Vt expressè constat ex Nouella 100. seu *Authent. de tempore non soluta pecunia super dote.* ibi. *Palam est voluisse si non accepit dotem, omnino eum scilicet scerum, aut suos reddere hæredes, & docuit Couarruu. i. var. cap. 7. numero 5. in fine. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 12. numero 75. Fachin. lib. 8. controuers. capit. 82.* Quod si dicas cum Baldo in leg. vlt. Cod. de priuileg. dot. Immo in leg. si constante. numero 47. ff. soluto matrimonio. Paul. Castrensi. cons. 383. numero 2. lib. 2. Aretilino, in §. fuerat. numero 15. instit. de actionib. Socini. Seniore in leg. 1. numero 102. ff. soluto matrim. confessionem hæc receptæ dotis cum recepta non est simulata esse. Ergo ex lapsu temporis non purgatur eius simulatio, sed arguitur? Negandum est in ea confessionis simulationem interuenire, fatens namque te dotem recepisse non quidem actu, sed in potentia, & in spe future numerationis, in quo nulla adest fictio, sed veritas. Quod si in hac confessione decennio perseveras nulla querela interposita, præsumunt iura vel te recepisse actu dotem, vel velle vxorem eiusque hæredes tuos hæredes facere, ac proinde ex illo temporis lapsu firmatur iuris fictio confessio ac si dos verè, actuque recepta esset.